

in se impurissimos peccatique squalore conspurcatissimos, DE-US tamen Ter Sanctus coram splendido suo tribunali puros et emundatos iudicat, et ab omni inmundicie absolvit, quia innocentiam, puritatem et integritatem impolluti et immaculati Saluatoris per fidem faciunt suam. Christus siquidem pro nobis factus est impurum illud peccatum, ut nos fieremus iustitia et mundities in ipso, 2 Cor. V, 21. qui nostra peccata sustulit, Ioh. I, 29. et in ligno crucis obtulit. 1 Pet. II, 24. Eaque mundatio non fit pedetentim, non temporis tractu, sed in momento, adeo ut simulac crediderit homo, ne punctum mathematicum intercedere possit, quin adsit iustificatio, peccatorumque imis ceris eraorum plenaria ablutio et hoc pacto omnis euaneat poenae pariter ac culpae reatus. Ex quibus omnibus patet sanguinem Iesu Christi in iustificatione tantum formaliter, non vero in sanctificatione et renovatione a peccatis nos mundare, cum nostra renouatio et sanctificatio sit valde imperfecta Ela. LXIV, 6. et in sanctificatione nulla nobis remittantur peccata. vid. Dn. D. Schelguig. in Synops. Artic. VII. Quaest. 6. et B. D. Neumann. Diff. de Emundatione Sanguinis Christi iustifica Vittenbergae 1703. habita.

### §. XVI.

Quem tandem hic sanguis a squalore peccatorum purifiet, breuissima vocula ἡμῶν ostendit Apostolus; *emundat nos* inquiens *a peccatis*; quem si solos intellexisse credentes dixerimus, frigidam tamen adversariis neutiquam suffundimus. Equidem semetipsum includit Euangelista, et ad quos hanc Epistolam scribit, eos paucis interiectis C. II, 1. blanda allocutione nominat τὰ φίλα σους, vid. ψ. 12. ( scilicet *in fide* ut Paulus Timotheum. 1. Tim. I, 1. ) quos non ex promiscuo hominum coetu, sed ex solis fidelibus constare docet arguta separatio statim subiuncta, ψ. 2. ubi Apostolo alia sunt peccata, ἡμῶν et ἡμιτέρων; alia vero peccata ὅλες τὰ κάκη. *Christus*, ait, *est propitiationis*